DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

QVORVNDAM

PHAENOMENORVM PERIODICORVM IN HOMINE OBSERVABILIVM CAVSSAS PROBABILES

QVAM

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

AVCTORITATE

AD

CAPESSENDOS SVMMOS

IN

VTRAQVE MEDICINA HONORES

PVBLICE DEFENDET

DIE II. APRILIS cIↄIↄCCLXXXII

AVCTOR

GEORGIVS FRIDERICVS

BALLHORN

HANNOVERANVS

SOC. PHYS. PRIVATAE GOTTINGENS. SOD.

GOTTINGAE

LITERIS BARMEIERIANIS.

VIRIS EXOPTATISSIMIS

AVGVSTO EVERARDO BRANDE

MEDICINAE APVD LONDINENSES DOCTORI

AVGVSTISSIMAE BRITANNIARVM REGINAE A REBVS PHARMACEVTICIS

NEC NON

IOANNI CONRADO BRANDE

DOCTISSIMO MEDICINAE CANDIDATO

AVGVSTISSIMI BRITANNIARVM REGIS A REBVS PHARMACEVTICIS HANNOVERANIS

S.

Nullam me apud VOS, VIRI EXCELLENTISSIMI, in inſcribendis hisce VESTRO NOMINI paginis gloriolam captare voluiſſe, ſane per ſe intelligitur. Id tantum egi, vt publice, quantus haberetur VOBIS a me honos, quodammodo probarem. Qui enim et fraterno vinculo VOBISCVM coniunctus eſt, et grata beneficiorum memoria totus a VOBIS pendet, hunc ab officio laetisſimo reuocare haud poteritis, niſi VOS iniquis aeſtumare pretiis videri ipſi velitis.

PRAEFATIO.

Quum cauſſae quaedam, eaeque priuatae, vt iamiam ineunte hoc anno ſummos in arte honores modeſte, vti decet, expeterem ab Illuſtri Ordine vrgerent, tempusque, quod commentationi impenderem, magis abſolutae, deeſſet: placita haecce phyſiologica, quae iam antea in Societatis Phyſicae priuatae Gottingenſis conſeſſu a me recitata fuere, auſus ſum proponere. Quanquam enim ſingulae Medicinae clinicae diſciplinae tam late quidem pateant, tamen, plurima earum capita iamiam ab iis, qui ſummos in arte honores ambirent, ſelecta fuiſſe, negari nequit. Porro

ingenue confitendum eſſe, puto, vix inueniri argumenta, medico iuveni iniquiora, in quibus operam collocet ſuam, quam illa, quae a diſciplina practica ſuppeditantur. Qui enim experientiae, quas dicunt, practicae exigi poſſunt ab illo, qui modo alia, eaque grauiori, auctoritate iis imbutus ſit? Qui, dico, ab illo, qui, dum propria obſervata annotare exiſtimet, potius in repetendis omnis aeui veritatibus verſetur? Non ſemper quidem, quae dixi, valere, lubentiſſime concedo. Saepe enim iuuenis opera egregie collocari poteſt in colligendis auctorum practicorum obſeruationibus; ſaepe — idque Gottinga ſibi gratulatur — tanta eſt praeceptorum erga diſcipulos beniuolentia, vt argumenta practica, vlteriori inquiſitione digna, illorum indu-

induſtriae commendent et adminicula, quibus opus ſit, ſuppeditent, quale exemplum Cl. LVEDGERS nobis reliquit. Quae modo de diſciplinis medicinae practicae dixi, de Phyſiologia, diſciplina videlicet, in qua hypotheſibus et theoriis lubentius indulgeri et debet et poteſt, minus valent. Hic enim ſaepius ex legibus phyſiologicis, omnis aeui auctoritate probatis, phaenomena explicari poſſunt, quae primo intuitu explicatu difficiliora eſſe videantur. Quodſi quis bene has leges cognoſcit, etiam ſine ea, quae late patet, eruditione talium phaenomenorum explicationem interdum praeſtare poterit, ita, vt vel academicae primitiae quandam inde laudem fortuitam ſibi vindicent. Multum tamen, ingenue confiteor, abeſt, vt coeptis meis

banc

hanc apologiam tribuam, vt potius ſoli tantum argumento illam haud denegandam eſſe arbitrer. Quaecunque ſocietatem priuatam, cui adſcriptus ſum, reſpiciunt, in hac commentatione omiſi. Notitiae literariae exiguitati eo magis indulgendum eſſe putaui, quod partim argumenta, quibus ſuperſtructa eſt, tam trita ſunt, vt vlteriori auctoritate haud indigeant, partim vero, quod occaſio, inter quam haec qualiacunque conſcripta ſunt, auctorum allegationem recuſauit, partim denique, quod, hypotheſi largiendum eſſe aliquid, putaui.

INTRO-

INTRODVCTIO.

§. 1.

Ad perſcrutandam rerum veritatem in multis diſciplinarum generibus ratione vtuntur viri docti, quae primo intuitu mere ſpecioſa et captioſa eſſe videtur: hypotheſin puta. Quodſi tamen, quae in rebus, nobis obiectis, occurrunt, ſatis ab hypotheſi quadam illuſtrantur: eſt ſane, quod veriſimilem illam eſſe putemus; Quid? quod, ſi omnia obiecta exacte hypotheſi reſpondent, quodammodo ad veritatis et certitudinis nomen adſpirat. Inde elucet hypotheſium vis et honos.

§. 2.

In quonam vero cognitionum humanarum genere hypotheſibus ae-

quius iuſtiusque venia danda erit, quam in Medicinae ſtudiis, inprimis illis, quae de Natura Humana agunt, vbi hominum ingenia ſubinde in rebus indagandis verſantur, quae natura quodammodo ipſa celare voluiſſe videtur? Huc videlicet referri poſſunt diuerſae phyſiologorum hypotheſes de modo, quo ſyſtema neruoſum muneribus ſuis perfungatur *), inprimis de viſus natura theoriae, partim NEWTONI, partim HVYGENII, HOOKII et LEON. EVLERI auctoritatibus inſignitae **).

*) Cf. cl. MICHELITZ ſcrutinium hypotheſios ſpirituum animalium. Prag. 1782.

**) Illuſtris LICHTENBERG, in annotatione ad §. 311. Inſt. Phyſices b. Erxleben.

SECTIO PRIMA.

CATAMENIORVM CAVSSAE.

§. 3.

Inter ſymptomata periodica, in vtroque machinae humanae ſtatu obuia, inſigniorem locum tenent catamenia et typus febrilis, quorum cauſſae efficientes Phyſiologis explicatu eſſe difficillimae ſemper viſae ſunt. Meam de hisce cauſſis opinionem, quae viris doctis nimis ſimplex viſa fuerit, neſcio, an omnino ab iis neglecta, iamiam proponere audeo. Primus itaque in catameniorum cauſſas inquiram, deinceps ad altera ſymptomata periodica perrecturus.

§. 4.

§. 4.

Catameniorum cauſſae duplici reſpectu in genere conſiderari poſſunt. Sunt enim vel poſitiuae vel negatiuae. Sub negatiuarum nomine illas cauſſas intelligi volo, quae ceteris mammalibus, vt curatior docuit obſeruatio *), fluxum hunc ſanguineum denegant; ſub poſitiuarum vero, quae, negatiuis cauſſis abſentibus, ſymptoma hocce, humano generi proprium et ſolemne, efficere valent. Quae quidem omnes ex propria corporis humani fabrica erui debent, collatis ſimul phyſiologiae comparatae ſtudiis.

§. 5.

Quum autem cauſſae poſitiuae periodico tantum ordine ſeſe manifeſtent,

*) V. Ill. BLVMENBACH Inſt. Phyſiol. p. 421. in nota.

festent, et nihilominus conditio quaedam corporis constans adesse debeat, quae quarta quaque hebdomade hoc sanguinis profluuium admittat: diuidendae iterum videntur in praedisponentes et efficientes, quarum illae a fabrica vteri, eius situ atque, vt breuiter dicam, ab eius conditione plethorica pendent; hae vero, quaeque sane principes sunt, et periodicum fluxus ordinem efficiunt, a virium vitalium vigore, vt argumentis demonstrabo, excitantur.

§. 6.

Exordiamur itaque a caussis positiuis praedisponentibus, inter quas primum locum tenere meretur *Conditio vteri plethorica*, κατ᾽ ἐξοχην dicta, ab eiusdem parenchymate oriunda. Idea enim plethorae involuit

voluit ſanguinis maſſae in vaſa continentia vim tantam, cui haec reſiſtere neſciant, ſed potius extendantur, et vel per diaereſin vel per anaſtomoſin ita diminuantur, vt cruori exitus pateat. Quae quidem omnia de vtero valere, ſequentia demonſtrant argumenta.

I. Inſignis parenchymatis vterini expanſibilitas, ſit venia verbo, cuius quidem luculentiſſimum exemplum praebent graues et inſignes mutationes, quas grauiditatis tempore vterus ſubit. Quum vero ſciamus, omnia corporis viſcera eo magis plethorae eſſe obnoxia, quo maior ſit eorum expanſibilitas: eundem quoque ſtatum plethoricum vtero in ſtatu licet virgineo denegare nequimus.

II. Pe-

II. Peculiaris venarum vterinarum ſtructura. Patet ex ſcholis pathologicis, arterias ob maiorem tunicarum irritabilitatem et elaterem congeſtioni ſanguineae, niſi quodammodo phlegmones theoriam huc trahere velimus, diu reſiſtere poſſe. Nulla itaque pars, ad effectus plethoricos edendos, ſanguini magis indulget, quam tractus vaſorum longe inertiorum: venas puta. Porro experientia clinica demonſtrat, illas praeprimis corporis partes congeſtioni plethoricae eſſe obnoxias, quarum venae valuulis deſtituantur. Exemplum praebent plethorae venarum abdominalium. Idem etiam valuularum defectus per totam vteri compagem obſeruatur, et ſymbolam ſuam conferre valet, ad ſtatum vteri plethoricum conſtituendum.

III. Ir-

III. Irritabilitatis muſcularis defectus, per totam vteri compagem obſeruatus.

Quaecunque enim de muſculoſa vteri ſtructura diſputata ſunt: neutiquam tamen veram irritabilitatem HALLERIANAM hnius viſceris probauerunt. Quanquam enim vix cum veritate negari poſſunt fibrae, tamen, vt effatur Ill. WRISBERG *), muſcularium inſtar non parallelae decurrunt, nec in ſtrata diſtincta collectae ſunt, nec aſperae inueniuntur, nec ſtimulo anatomico ad irritabilitatem vellicari poſſunt, quum ſpecificum illarum irritamentum ignoremus. Motrices vero eſſe fibras, ex ſumma vteri contractili vi patet. Simi-

*) V. ſummi Viri, pietate maxima a me proſequendi, annotationem ad §. 95. Elem. artis obſt. b. ROEDERERI.

Similis in iride obſeruatur effectus, quae ſine diſtinctis fibris muſcularibus, pro varia lucis actione, et expanditur et contrahitur *).

Quum vero nulla pars congeſtionibus et ſanguineis et lymphaticis magis obnoxia ſit, quam in qua muſculorum defectus penitus obſervatur, vel exigua tantum ſtructurae muſcularis veſtigia adſunt: iam exinde plethora vterina quodammodo explicari poſſe videtur.

§. 7.

Praeter conditionem vteri plethoricam, ab eiusdem parenchymatis indole pendentem, aliam adhuc cauſſam praediſponentem recitant phyſiologi: ſitum videlicet corporis humani erectum. Quanquam ego

*) V. Ill. WRISBERG libro c. p. 19.

ego quidem hanc cauſſam non inter principes referrem, ad catamenia fundenda praediſponentes, quum non intelligam, qui fiat, vt puellis citra annos pubertatis hicce fluxus nondum contingat: ſitus tamen vteri in ima pelui concauſſam ſiſtit, minime negligendam. Si enim ponimus, niſu quodam formatiuo, neutiquam explicabili, vterum inde a pubertatis annis ita efformari, vt catameniis fundendis par reddatur: ſitus corporis erectus, niſi quidem abſolute hunc fluxum ciet, mire tamen illi fauet, dum ſanguis ipſa ſua grauitate phyſica ad vterum allicitur. Omnes enim excretiones et ſecretiones, vel naturales vel praeternaturales, eo facilius ſuccedunt, quo magis excernenda et ſecernenda directionem grauitatis ſequi poſſunt. Saliuae ex ductibus ſuis efflu-

effluxus prono capitis ſitu augetur; puris in abſceſſu collectioni ſitus membri decliuis fauet, haemorrhoides in ſitu corporis perpendiculari vehementius ſaeuiunt. Quid? quod natura, ad excretiones et ſecretiones facilitandas, grauitatis leges quodammodo ſequuta fuiſſe videtur, cuius inſigne exemplum nobis praebet totum, quo patet, ſyſtema uropoeticum et bilis vel in cyſtidem ſuam, vel in duodenum delapſus.

§. 8.

Tertiam cauſſam praediſponentem numero calorem vteri inſignem, phyſiologis obſeruatum, a vicinia partium, vndique illum circumdantium, oriundum. Ea eſt enim calidi ſanguinis animantium conditio, vt, quam ope reſpirationis perenni tramite ſibi vindicant,

ignis materiam continuo iterum atmoſphaerae reddant. Quae quidem materiei igneae ad atmoſphaeram attractio eo inſignior eſt, quo magis corporis partes eiusdem ſuperficiei appropinquant, quum contra illae, quae profundius ſitae ſunt, materiam igneam diutius retineant, quin a partibus vicinis iterum attrahant. Quantam vero ſymbolam, ad congeſtiones ſanguineas iuuandas, calor diuerſarum partium ſpecificus conferat, vlterioribus argumentis non indigebit.

§. 9.

Plures adhuc cauſſas praediſponentes, niſi ſubtilitatis nomen timerem, afferre poſſem. Accedo itaque ad illas, quae fluxum hunc ſanguineum periodica viciſſitudine proliciunt.

Idea

Idea vitae esse nequit sine vicissitudinibus et rythmis periodicis. Quando hae periodi vexantur, lentescunt et labefiunt, animal aegrotat; quando omnino euanescunt, animal mortuum dicendum erit. Pulsus, respiratio, somnus, appetitus, alui depositio, catamenia, febris cet. periodum quandam, plus minus protractam tuentur. Quid autem est principium omnium harum vicissitudinum rythmicarum, per totam machinam viuentem perenni tramite agentium? Certo est vigor virium vitalium, vel propria harum conditione, vel peculiari stimuli indole excitatus.

§. 10.

Quanquam itaque vires vitales caussae periodici catameniorum fluxus esse videntur: id tamen me-

diante irritabilitate muſculari, ab HALLERO dicta, praeſtare videntur. Id enim a poſteriori, quod dicunt, multis phaenomenis, irritabilitatem adeſſe probantibus, docemur; a priori vero, quum experimentis euictum ſit, vel minimi ordinis vaſis irritabilitatem haud eſſe denegandam. Multo felicius plura phaenomena phyſiologica et pathologica explicari poſſunt, ſi, quae veteres phyſiologi viribus mere mechanicis et phyſicis attribuere, potius ad virium vitalium actionem referuntur. Quae enim e. g. tubulorum capillarium functione ab illis explicabatur, vaſorum lymphaticorum vis reſorbens, maiori iure vi cuidam, neutiquam mechanicae, parietes vaſorum vario modo conſtringenti, ideoque veram irritabilitatem demonſtranti, adſcribitur. Omitto

tamen grauiſſimam hancce irritabilitatis prouinciam et, ne multus ſim, ad coepta reuertor.

§. 11.

Cel. GIRTANNERVS *), vir inſignis, veriſſime contendere videtur, corpora viua perenni irritabilitatis hauriendae iterumque excernendae negotio eſſe obnoxia. Adſcribit hancce irritabilitatis edendae facultatem baſi aeris vitalis ſ. principio oxygenio. Quodſi etiam fortaſſe nondum accuratiſſime determinare poſſimus, num hic ſit fons irritabilitatis: negari tamen nequit, multa phaenomena exactiſſime inde explicari. Irritabilitas tamdiu occulta remanet, donec ſtimulus qualiscunque illam in motus cieat et

*) v. Cl. GREN Iournal der Phyſik, Jahr 1791. p. 317 ſq.

deinceps exſtinguat. Hoc placitum GIRTANNERIANVM optime noſtrae, quam iamiam proferre auſi ſumus, de periodico catameniorum fluxu opinioni reſpondet. Femina enim ſana perenni functione hanc irritabilitatem occultam attrahit; ſanguis vero, circuitu ſuo per totam machinam diſperſus, ſtimulum porrigit, qui irritabilitatem accumulatam, eamque nimiam, in motus ciet, viresque vitales ſubito ita excitat, vt ſanguis ad vterum, qui iam plethorica, vt demonſtraui, conditione inſtructus eſt, congeratur, vaſaque minima transſudet.

§. 12.

Nunc ſtatim ſilet irritabilitas, et per aliquod tempus quaſi exſtincta videtur, partim quod grauiſſima,

eaque

eaque praecipite, viciſſitudine conſumta eſt, partim vero, quod ſtimulus, ſanguinem puta, fractus eſt. Attrahitur denuo interea irritabilitatis edendae facultas, redit poſt quatuor hebdomades tanta ſanguinis copia, vt accumulata et occulta irritabilitas excitetur, iterumque catameniis fundendis par ſit. Sic itaque periodicus hicce fluxus, modo aucta, modo imminuta irritabilitate, per XXX circiter annos viget, donec tandem exſanguis ſenectus irruit; et conditio vteri plethorica rigiditati ſenili cedit, vnde catameniorum fundendorum functio, labefacta, mox deſinit.

§. 13.

Quid? quod irritabilitatem, varia ratione modificatam, ipſiſſimam

eſſe ſollemnis huius phaenomeni cauſſam, pathologica etiam catameniorum conditione docemur. In genere catamenia duplici ratione peccant, dum vel abundant, vel iuſtam ſanguinis quantitatem haud tenent. Vtrumque phaenomenon ſecundum theoriam hypotheticam, a me explicatam, illuſtrare audeo. Menſium fluxus duplici ratione peccat abundantia. 1) Si corpus nimia irritabilitate laborat. 2) Si ſtimulus, qui irritabilitatem latentem in motus ciet, iuſto grauior eſt. Feminae ſanae, quae ſcilicet modica irritabilitate gaudent, vix ac ne vix quidem, licet plethoricae ſint, catameniorum exceſſu vexantur; quum contra mulierculae, quae irritabilitate nimia laborant, licet corpora exſanguia et delicatula habeant, menſtruationem

profu-

profuſam, inordinatam et frequentiorem ſaepiſſime perpetiantur.

§. 14.

Stimulus proximus, qui irritabilitatem, ad catamenia fundenda, excitat, in maſſa ſanguinis poſitus eſt. In illis itaque feminis, vbi vel exigua adeſt laticis vitalis copia, vel irritabilitas lenteſcit, catamenia iuſtam quantitatem haud tuentur. In vtroque caſu irritamenta grauiora, corpori allata, quae plethoram ſpuriam efficiunt et irritabilitatem lenteſcentem in motus cient, catamenia reddere poſſunt. Inde explicatur vſus aloeticorum, aliorumque emmenagogorum, vtpote irritabilitatem minimam ad motus cogentium, ideoque fluxum reſtituentium. Ex omnibus itaque allatis patet, quidquid periodici catame-

tameniis insit, deberi irritabilitati variae, stimuloque sanguineo. Nam et irritabilitas et irritamentum continuis vicissitudinibus obnoxia sunt, ita, vt in statu sano quarta quaque hebdomade sanguinis copia iterum tanta sit, vt irritabilitatem, quae in eodem temporis spatio pari ratione aucta est, ad motus edendos cogat, tantamque in totam machinam vim exserat, vt sanguineus latex effundatur.

§. 15.

Imo vel argumenta, ex disciplinis clinicis petita, huic de periodico catameniorum decursu hypothesi respondere videntur. Ponamus videlicet menstrua a venereo stimulo obstructa, in quo quidem casu duo irritamenta in corpore obtinent, sanguis sc., menstruatione excernendus,

dus, virusque venereum. Ille tempore catameniorum irritabilitatem occultam, ſeu potius lenteſcentem totius ſyſtematis ſanguiferi mouet et oritur quaſi orgaſmus febrilis. Virus venereum ſtimulum ſiſtit contrarium, qui, dum continuo irritabilitatem vaſorum minimi ordinis excitat, ea contrahit et catameniorum profluuium inhibet. In hoc caſu id tantum agendum erit, vt, ſtimulo iniquo ſublato, ſana irritabilitas reſtituatur. Effectu vtriusque huius irritamenti, ſibi inuicem contrarii, illa phaenomena optime explicari poſſe mihi videntur, quae hoc caſu in ſexu ſequiori obſeruantur et menſtruationis dolorificae et difficilis nomine ſalutantur.

§. 16.

§. 16.

Ceterum plura phaenomena, quae ſuppreſſionem fluxus menſtrui comitantur, veriſimile reddere videntur, effectus proximos huius ſuppreſſionis non attribuendos eſſe ſanguini excernendo, non excreto, ſed potius irritabilitati vehementer excitatae et in motus coactae, dum irritamentum ſanguineum non eliminari poteſt, ideoque, ob continuam in corpore moram, irritabilitatem diutius et vehementius mouet, donec tandem, illa exſtincta, et effectus nociui ſenſim deſinant. Obſeruatur enim, illas feminas, quae hac ſuppreſſione laborant, definitis temporibus, et quidem plerumque, quando catamenia ſecundum naturam fluere deberent, ſpaſmis momentaneis turbari. Hoc phaenomenon explicari non

poſſe

poſſe videtur, niſi ponamus, irritabilitatem, per quatuor hebdomades auctam, in motus cieri, tandemque iterum exſtingui, ſtimulo ſanguineo licet perenni. Quodſi itaque cauſſa, catamenia impediens, tolli non poſſet: hi tamen effectus, ab excitata et mota irritabilitate oriundi, remediis ſedantibus minui poſſent.

§. 17.

Nunc adhuc verba quaedam adiicere liceat de cauſſis catameniorum negatiuis, quae ſcilicet hanc praerogatiuam infantili ſenilique aetati, omnibusque animalibus viuiparis denegant.

In aetate infantili, vbi tamen irritabilitas tam inſignis eſt, nulla, exceptis rariſſimis exemplis, catameniorum veſtigia reperiuntur. Cauſ-
ſas,

ſas, niſi in hypotheticos teleologiae campos incidendi animus ſit, has paucas annotari poſſe, exiſtimo. Prima recitari meretur efformatio vteri, in aetate infantili nondum abſoluta. Sic enim accidit, vt omnis congeſtio ſanguinis ab vtero arceatur. Niſus enim formatiuus tunc denique vterum quaſi explicat, quando tota virginei corporis compages par eſt, grauiſſimo partus negotio ſubeundo. Reſpectu irritabilitatis inſignis, in aetate infantili obſeruabilis, natura ſexcentis vtitur opportunitatibus, quibus nimia irritabilitas continuo iterum exſtinguatur, inter quas inprimis eminet animi hilaritas, huic aetati quammaxime communis, vtpote quae nimis aggregatam irritabilitatem efficaciſſime exſtinguat; luſuum et exercitii corporei appetentia et ſ. p.

Quid?

Quid? quod minor ſanguinis copia, infantibus communis, praematurum catameniorum profluuium impedit.

§. 19.

Quae de cauſſis defectus catameniorum in aetate infantili recitaui, etiam de aetate ſenili valere videntur. Nam, vt omnia argumenta omittam, quae teleologia mihi ſuppeditare poſſit, vterus obrigeſcit, latex vitalis imminuitur, ipſi riuuli exſiccantur et, quod inprimis cenſendum videtur, irritabilitas lenteſcit. Quodſi vnum et alterum ex hiſce phaenomenis, quae ſenectutem comitantur, in aliqua femina, vltra annos pubertatis poſita, non obſeruantur: fieri omnino poteſt, vt catamenia adhuc profluant. Sic ipſe matronam noui, in qua catamenia, eaque ſatis pro-

 fuſa,

fuſa, corpori quammaxime irritabili tribuere velim. Dixi, ſanguinis exiguitatem cauſſis annumerari poſſe, quae catamenia ab aetate infantili ſenilique excludant. Inde ſequitur, quod in aetate pubertatis femina ſana maiorem ſanguinis copiam, quam vir, ceteris paribus, praeparare debeat. Quocum etiam conſentiunt obſeruationes anatomicae et phyſiologicae, quae inſignem vigorem vaſorum reſorbentium apud feminas teſtantur. Inde Ill. WRISBERGIVS *) ait, viſcerum vigorem, chyli ſalubrioris vberiorem praeparationem ſanguinem, in vtero collectum, ad effugia quaerenda diſponere.

*) V. ROEDERERI Elem. art. obſt. p. 29. (Ed. 1766).

§. 20.

§. 20.

Vix adhuc quaedam differere audeo de cauffis defectus catameniorum in brutis, quae tamen nihilominus concipiunt, prolem gerunt, nutriunt. Omitto omnem hypothesin teleologicam, hoc vno contentus, quod quodammodo ad probabilitatem senfualem adfpirat. Physiologiae enim et anatomes comparatae ftudiis relictum eft, vt veriora olim doceamur, ficuti teleologia fortaffe philofophicam rerum indaginem fibi vindicat. Certe cauffae quammaxime latent nullamque, cui qualemcunque veritatis fpeciem tribuere et velim et poffim, fcio, quam fitum corporis pronum, per totam mammalium claffem obferuabilem. Huic enim quodammodo refpondere videntur fluxus fanguinei veftigia, in ordine fimiarum ob-

via, quum tamen quadam ratione ſitus erectus haud prorſus illis denegari queat, quanquam quidem hicce fluxus tantum parcus, vagus et omni periodico ordine plane deſtitutus ſit.

§. 21.

Haec qualiacunque habui, quae de catameniis mihi diſputanda videbantur. — Vtinam aequos beneuolosque lectores nanciſcantur! Symptomatum vero, quae ſuperſunt, periodicorum indaginem mox in publicum edere conabor, vbi tempus mihi conceſſum erit, quod curatiori opellae caſtigationi impendam.

THESES.

I. *Omnia corpora, organis instructa, suam habent irritabilitatem muscularem.*

II. *Corotrophea publica nocent rei publicae et iniuriam inferunt parti integrae sexus sequioris.*

III. *De publica ſalute meretur magiſtratus, qui ſpirituoſorum potuum venditionem ex officinis pharmaceuticis proſcribit.*

IV. *Motus vaſorum lymphaticorum retrogradus multis phaenomenis ſtatus morboſi reſpondet.*

V. *Liquor probatorius remedium dubium eſt, vt ſaturnina in vino, aliisque corporibus indagentur.*

VI. Omne mortuum nunquam reuiuiſcit.

VII. Furiam infernalem eſſe, nego.

VIII. Sedes materiei rheumaticae tela celluloſa eſſe videtur.

IX. Vires opii et ſpiritus vini eaedem eſſe videntur.

X.

X. *Venis vis quaedam contractilis haud deneganda esse videtur.*

XI. *Caussa proxima hydropis in systemate lymphatico posita est.*
